

4109 vasculum rep. Praeneste, postea Romae adservatum apud Castellanium.

hominum figurae octo quibus omnibus nomina adscripta sunt excepta una cuius nomen potest periisse.

a	b	c	d	e	f	g	h
CREISITA	ELENA	ACILES	SIMOS	ORESTE	TONDRVS		SECI · LVCVS
mulieres duae nudae ad labrum		homo barbatus loricator dextra equum tenet	adulescens campestratus. hastam. Dorso peramgestans ex qua avium (anatum?) capita extant HELB.; sur ses épaules il tient une sorte de bâton recourbé, terminé par deux crochets en forme de tête d'oiseau, auxquels sont suspendus des objets dont il est bien difficile de déterminer la nature	adulescens, a cuius umeris petasus et chlamys pendent, hastae innixus	senex calvus cum cane	mulier pallio amicta HELB. iuvenis togatus FERN.	homo loricator equum loro tenens

Enarraverunt Helbig *bull. dell' Inst.* 1872 p. 107, eph. epigr. 1 p. 153 n. 168 a ubi in tab. adiecta fig. 9 inscriptiones repraesentavit, et Fernique *Préneste* p. 197—199. Garrucci syll. n. 526 dicit inscriptiones descripsisse se omnes exceptis e et f et inscriptionis b ultima littera.

In inscriptione b ante primam quae nunc est, in e post ultimam possunt singulae litterae periisse. — Inscriptionem h dedi ut legit Helbigius adfirmans *Seci* pertinere ad hominem, *Lucus* ad equum; Garruccius legit *Seciolucus* cum o minimi moduli.

*Chryseis* (a) sive potius *Xρυσίς* (cf. Jordan *krit. Beiträge* p. 54), *Helena* (b), *Achilles* (c), *Orestes* (e), *Tyndareus* (f) sive *Tyndarus* (cf. Jordan p. 56), agnoscuntur; nec tamen quid sibi velint una repraesentati, apparet. *Lucus* inscriptionis h *Lycus* erit notum nomen equorum. Contra *Simos* (d) et *Secius* (h) (sive fuit *Seciolucus*) plane ignoti sunt. — Vocabula plane ad arbitrium ab artifice adscripta esse statuit Helbigius.

4110 vasculum Praeneste rep. fuit primum apud Pasinatium, deinde apud architectum Donaldson SCHOENE. Anno 1884 Parisiis venum prostabat.

Castor et Pollux, quorum alteri nomen adscriptum est a; ad hos accedit homunculus deformis et obesus (Pygmaeus), cui adscriptum est b; seorsum stant mulieres complures, pueri duo, iuvenis, omnes sine nominum inscriptione.

a b  
CASTOR MONONIMVOP · ΠΕΤΑΡ

*Monumenti dell' Istituto* vol. 9 (1870) tab. 24/5. Memoravit et inscriptiones edidit Helbig *bull. dell' Inst.* 1869 p. 132. Enarravit R. Schoene *ann. inst. arch.* 1870 p. 344—349. Inscriptiones repetiverunt eph. ep. I n. 20 et Garrucci syll. n. 527. Denuo ex aere est *Catalogue des objets d'art dépendant de la succession Al. Castellani* p. 39 n. 358.

Inscriptionis a prima littera tecta est umbone ab artefice ei superimposito (Schoene p. 347). — b pro ΠΟΜΙΛΙΟΝΟΜ etiam ΠΟΛΜΙΛΙΟΝΟΜ legi posse perhibetur in *Ephemeride epigraph.*; ΠΟΙΜΙΛΙΟΝΟΜ est in catalogo Castelliano.

4111 effossionibus Marini et Fiorentinii, de quibus supra dixi p. 329, produsse inter alia vascula aenea unum quod inscriptiones haberet, ait Fernique *revue archéol.* 35 (1878) p. 237. Id vasculum extare adhuc apud Fiorentinos, sed inscriptiones aerugine obductas legi non posse — quod et Ferniquium impedierat — dominos autem sumptum, quo opus esset ad vasculum aerugine liberandum, facere nolle, ab amico quodam audivi.

4112 effossum esse hoc vasculum ex vetere Praenestinarum sepulcreto, de quo diximus p. 328, hodie, postquam ex eodem tot similia vascula prodierunt, nulli dubium esse potest; et eodem redit quod narrat Ceconius Praenestinus *hist. Praen.* p. 96 repertum esse vasculum *nel braccio della Labicana vicino alla chiesa di S. Rocco*; extenditur enim id sepulcretum secundum diverticulum viae Labicanae ultra aediculam S. Rochi (a Ceconio fortasse pendet Contucciis p. 5 qui scribit repertum esse 'ubi vetus Praeneste olim fuit'). Rem obscuravit Ficoronius qui Romam vasculum attulit et museo Kircheriano donavit; is enim in epistula ad Muratorium (a. 1738) dicit repertum esse *nel territorio di Lugnano*, in libro *memorie di Labico* p. 72 emisse se *da due operaj in un sito poco distante (nempe dal colle di S. Monnetto di là della gran via olmata) fra il territorio di Lugnano e di Palestrina* (repertum esse a. 1743 inter oppidum Lugnanum et Praeneste perhibetur in libro ex schedis Ficoronii compilato de gemmis). Causa Lugnanum introducendi fuit sine dubio Ficoronio quod ipse erat oriundus ex hoc vico; sive inventores ut Ficoronio gratificarentur minus accurate ei de inventione rettulerunt sive ipse homo alioquin religiosus consulto sibi aliquid tale permisit (cf. quae de similibus ridiculis studiis Ficoronii observavimus supra p. 275 et ad n. 3910). Potuit vasculum repertum prope ecclesiam S. Rochi dici repertum esse inter Praeneste et Lugnanum; sita est enim haec ecclesia sub Praeneste Lugnanum versus. — Inter Praeneste et Valmontone quod repertum fecit Maffei (a. 1740), id videtur ortum esse ex narratione Ficoroniana, finitimum enim est Valmontone oppido Lugnano. — Fredericum aliquem Anglum sibi obtulisse pro hoc vasculo una cum speculo n. 4095 *una manciata di zecchini* ait Ficoronius (*mem. di Labico* p. 74), sed frustra, immo dono se dedisse museo Kircheriano. Extabat in museo Kircheriano iam anno 1740, cum Maffei scripsit, nec postea umquam ex eo museo motum est. — Ornatum autem est hoc vasculum fabula Pollucis et Amyci aliisque variis figuris affabre caelatis, ceterum sine ulla inscriptione, adferruminatos autem habet, ut reliqua vasa pleraque eiusdem generis, pedes tres, in quorum uno extat inscriptio infra edita n. 4113 (habebat item anulos cum catenis, ut primus observavit Schoene p. 154), et in medio operculo pro manubrio laminam cum tribus sigillis bacchicis inter se complexis. In hac lamina aenea leguntur inscriptiones, a ante sigilla, b a tergo eorum.

a b  
DINDIA · MACOLNIA · FILEAI · DEDIT · NOVIO · PLAVTIO · MED ROMAI · FECID

Ficoronius misit Muratorio epistula data d. 14 Mai 1738, quae extat Mutinae inter schedas Muratorii, unde edidit hic 132,2, repetivit 2045,9 (a. 1742) missam a Contuccio praefecto musei Kircheriani. Mox ediderunt Maffei *osservaz. lett.* 6 p. 96 (1740), mus. Veron. 470,3; ipse inventor Ficoronius *memorie di Labico* (1745) p. 74 cum tab. (in qua manubrium delineatum est); Ceconi Praen. p. 91. Ex Ficoronii schedis repetita est in opere eius postumo de gemmis antiq. p. 135. Primus vasculum repraesentavit tabulis aeneis octo (Contucciis) musei Kircheriani aenea t. I (1763) tab. I—VIII cf. p. 5—34, ubi inscriptiones habes in tab. II et III. Ex hac editione pendent plerique qui postea de vasculo egerunt vel inscriptiones repetiverunt, in his Petrini Praen. p. 323,4; Lanzi *saggio di lingua etrusca* 1,160. Accurate vasculum descripsit Platner *Beschreib. der Stadt Rom* III, 3, p. 484 seq., inscriptiones edidit p. 485 not. Male inscriptiones edidit Brunati mus. Kirch. inscript. (1837) p. 17 n. 22. Denuo vasculum delineaverunt tabulis sex P. O. Brøndsted *den ficoroniske Cista* (Havniae 1847), ubi inscriptio est tab. 5/6; tabulis novem Braun *die ficoronische Ciste des Collegio Romano* (Lips. 1848), sed sine manubrio, inscriptionum autem ne mentione quidem facta; Marchi *la cista atletica del museo Kircheriano* (1848) tab. II—IV, ubi inscriptiones sunt tab. II. Solas inscriptiones delineavit O. Iahn *die ficoronische Cista* (1852) p. 41, laminam aeneam in qua sunt inscriptiones cum ipsa inscriptione ad delineationem iussu Marchii factam repraesentavit Ritschl tab. I fig. A. Orelli n. 2497. Mommsen huius Corp. vol. 1 n. 54. Inscriptionem a correxit Tongiorgi *bull. dell' Inst.* 1866 p. 176 (cf. Schoene *ann. inst.* 1866 p. 157); ita emendatam proposuerunt Eph. ep. I n. 17 et Garrucci syll. n. 522.

Postquam inscriptio a Schoenii et Tongiorgii ope emendata est (nam antea pro FILEAI legebatur FILEA), constat hoc vasculum a Dindia Magulnia muliere, ut nomina ostendunt (cf. supra p. 289), Praenestina (primus hoc animadvertit Mommsen apud Iahnium) dono datum esse filiae. — In inscriptione b hoc potissimum quaeritur, cum pedes et manubrium, in quo legitur, et diversi et longe deterioris operis sint quam caelatura vasculi — haec enim sola inter caelaturas tot vasculorum refert manum Graeci artificis limatissimam, pedes et manubrium referunt artificem Italum nec ita multo meliora sunt quam pedes et manubria reliquorum vasculorum eiusdem generis —, utrum Novius Plautius existimandus sit vasculum caelavisse, an pedes tantum et manubrium finxisse et vasculo adferruminavisse. Illud hodie plerique statuunt, Iahnium secuti; mihi videtur Novius Plautius, si laminam aeream aliunde sibi advectam et a nescio quo caelatam in orbem complicit, ex altera lamina operculum ei indidit, denique pedes et manubrium a se ipso diligenter ficta imposuit, non iniuria vel a se ipso vel a Dindia Magulnia dici fecisse vasculum. Dindiae Magulniae mulieri Praenestinae si hoc vasculum prae ceteris placuit ut filiae donaret, vix placuit propter caelaturae elegantiam, sed magis magnitudine — nam magnitudine quoque reliquis omnibus hoc vasculum praestat — vel soliditate, fortasse etiam nescio qua subrustica gratia signorum manubrii. Celebrem eius aetatis artificem fuisse Iahnium ex ea ipsa re collegit quod nomen eius vasculo inscriptum est; sed caelator qui speculo n. 4098 post Iahnium reperto nomen suum inscripsit, si celebris fuit, certe non elegantia caelandi eam celebritatem nactus est.